



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistolae Vrbani Papae IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

rum aduenerit ab unoquoque nostrum fructum iniuncti negotii quæsiturus, coram ipso appareatis intrepidi, & dignam sibi possitis villicationis vestrae reddere rationem. Volumus autem atque præcipimus, vt tu, frater archiepiscopi, suffraganeis tuis & aliis prælatiis tuae prouinciae has literas sine moræ dispendio facias præsentari, vt super præmissis præceptum nostrum exacta diligentia exequantur.

Datum Idibus Februarii, pontificatus nostri anno v.

VITA ET EPISTOLÆ

VRBANI PAPÆ IV.

ANNO  
CHRISTI  
1261. **V**RBANVS quartus, cui Iacobi Pantaleonis nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, patriarcha Hierosolymitanus, Viterbii in Tuscia, ubi tunc propter tyrannidem Manfredi regis Siciliæ & potentiam Gibellinorum ecclesiam persequentium Romana curia erat, diuque permanxit, absens electus est pontifex anno Redemptoris 1261. regnante Richardo Cornubiæ comite, & regis Anglia fratre. Ut securior a maleuolorum insidiis esset, Orvietum se recepit: cumque nulla ratione a Manfredi potentia & tyrannide se defendere posset, in extrema rerum calamitate definiuit, ut auxiliares copiæ, quæ ut in Asiam traiicerentur delectæ erant, e Galliis aduocarentur: quæ, accepta a pontifice benedictione, omnem Manfredi exercitum ex Saracenis conflatum deleuerunt. Eo tempore Romani debitam obedientiam pontifici nullam præstabant, verum magistratum suo genio & voluptati deseruientem pro libito sibi deligebant. Quem sui contemptum Vrbanus ex eo procedere videns, quod omnem suam auctoritatem a Manfredi iniquitate & iuriis depressam & obscuratam viderent, Concilio Orvieti habito conclusum est ut Carolus Andegauia comes, Franciæ regis frater, in Italiam cum titulo regni Neapolitani aduocaretur. Et quamquam ad eam legationem perficiendam cardinalis missus esset, nihil tamen eius rei, nisi subsequentis pontificis tempore, executionem suam fortitum est. Hoc unum post hominum memoriam

*Concil. Tom. 28.*

Ppp

celeberrimum ad posteros transmisit, quod suo tempore  
augustissimi ac simul sacratissimi corporis Domini nostri  
Iesu Christi celebritatem instituerit, idque ad hæresim  
contrariam verbo simul & facto impugnandam, quæ his  
temporibus venerabili sacramento debitum cultum in-  
debite adimebat. Fueritne pontifex ad hanc festiuitatem  
instituendam religioſe cuiusdam mulieris instructu ac  
reuelatione, vt afferit Molanus, vel potius miraculosa  
sanguinis effluxione, quod scribit Tempeſta, commo-  
tus, aliorum esto iudicium. Porro tantæ celebritatis san-  
ctissimi corporis Christi officium, quamquam iisdem  
temporibus cura Julianæ editum esset, ac magnorum  
theologorum calculo approbatum, diuus tamen Tho-  
mas ab Aquino ad id perfectius præstandum auctorita-  
te apostolica delectus fuit: in quo, vt in ceteris, suo mu-  
nere adeo affabre functus est, vt diuina censura opus ab  
eo de ea re compositum approbare meruerit. Nam cum  
ante Crucifixum prouolutus intentius oraret, vocem  
nemine comparente audiuit: Bene scripſisti de me Tho-  
ma. Et in eo profecto ampliorem laudis cumulum iure  
ſibi vendicare posset, quam vt hic anguste & ieune me-  
moretur. Ut vero ad Vrbanum redeamus, postquam vr-  
bem Oruietum præclaris ædificiis tam priuatis quam pu-  
blicis exornasset, Perusii ad vitæ periodum perductus  
obiit, sexto Nonas Octobris, anno Domini millesimo du-  
centesimo sexagesimo quarto, cum pontificatum tribus  
annis & tringa quatuor diebus administrasset. Sedes eius  
morte quinque mensibus vacauit. Eodem tempore flo-  
ravit Albertus, cognomento Magnus, insigni laude ob exi-  
miā eruditionem merito dignissimus, quippe cuius ma-  
gisterio diuum Thomam doctorem angelicum ad multo-  
rum instructionem accepimus.

EPISTOLA I.

V RBANI PAPÆ IV.  
AD EVAM RECLVSAM SANCTI MARTINI  
LEODIENSIS.

De festo corporis Christi.

*Vrbanus episcopus dilectæ in Christo filiaæ Euæ reclusæ sancti Martini Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem.*

**S**CIMVS, o filia, quod magno desiderio desiderauit anima tua, vt solenne festum sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in ecclesia Dei a Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei digne duximus statuendum, vt de tam mirabili sacramento præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, speciælior & solennior memoria celebretur; ad hoc diem designantes certum, vt in eo turbæ fidelium propter hoc affectuose ad ecclesiæ concurrant, sitque dies ille vniuersis Christicolis noua festiuitate iucundus, & ampla iucunditate festius, prout in literis apostolicis, quas per vniuersum orbem dirigimus, plenius continetur. Et scias quod nos huiusmodi festum cum omnibus archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiæ prælatis tunc apud sedem apostolicam commorantibus (ad hoc vt videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Quia viderunt iam oculi tui salutare tuum, quod parauimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudauit te cælestis gratiæ plenitudo.

Et quia quaternum, in quo ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per apostolica scripta tibi mandamus, qua-

*Concil. Tom. 28.*

P pp ij

tenus quaternum ipsum cum deuotione recipias , & eius copiam personis illam potentibus exhibeas liberaliter & libenter, & instes deuotis precibus apud illum qui memoriale tam salutiferum de seipso reliquit in terris , vt nobis ex alto tribuat gratiam commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter , ad laudem & gloriam sui nominis , & salubriter gubernandi.

Datum apud vrbe Veteranum sexto Idus Septembri, pontificatus nostri anno quarto.

E P I S T O L A II.  
V R B A N I P A P Æ IV.  
A D O M N E S P R Æ L A T O S.

De eodem.

*Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiistarum prelatis, salutem & apostolicam benedictionem.*

Enarratio  
multorum  
beneficiorū  
recepitorum  
a Deo in  
hoc sacra-  
mento pro  
nobis insti-  
tuto.

1. Cor. II.

T R A N S I T V R V S de hoc mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Iesus Christus , cum tempus sūx paf- fionis instaret , sumpta cœna in memoriam mortis sua; in- stituit summum & magnificum sui corporis & sanguinis sacramentum , corpus in cibum , & sanguinem in pocu- lum tribuendo. Nam quotiens hunc panem manduca- mus , & calicem bibimus , mortem Domini annuntiamus. In institutione quidem huius sacramenti dixit ipse apo- stolis : *Hoc facite in meam commemorationem : vt præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii , quo nos dilexit , esset nobis hoc præcelsum & venerabile sacramentum ; memoriale , inquam , mirabile ac stupendum , delectabile , suave , tutissimum , ac super omnia preciosum , in quo in- nouata sunt signa , & mirabilia immutata ; in quo habetur omne delectamentum , & omnis saporis suauitas , ipsa- que dulcedo Domini degustatur ; in quo utique vitæ suf- fragium consequimur & salutis . Hoc est memoriale dul- cisimum , memoriale saluificum , in quo gratam redem- ptionis nostræ recensemus memoriam , in quo amalo re- trahimur , & in bono confortamur , & ad virtutem & gratiarum proficimus incrementa , in quo profecto pro-*

ficiimus ipsius corporali præsentia Saluatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtainemus. In hac vero sacramentali Christi commemoratione Iesus Christus præsens, sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. Ascensus enim in cælum dixit apostolis & eorum sequacibus, *Ecce ego vobis cum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* Matth. 28. benigna ipsis promissione confortans, quod remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali. O digna & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum viuificum ligno Crucis affixum fructum nobis attulisse salutis. Hæc est commemorationis gloria, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiae deuotionis lacrymas subministrat: exultamus nimis nostram memorando liberationem, & recolendo passionem dominicam per quam liberati sumus, vix lacrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione adsunt nobis suavitatis gaudium simul & lacrymæ; quia & in ea congaudemus lacrymantes, & lacrymamur deuote gaudentes, lætas habendo lacrymas, & lætitiam lacrymantem, nam & cor ingenti perfusum gaudio dulces per oculos stillat guttas. O diuini amoris immensitas, diuinæ pietatis superabundantia, diuinæ affluentia largitatis! Dedit enim nobis Dominus omnia, quæ subiecit sub pedibus nostris, & super universas terræ creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat & sublimat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium, propter eos qui hereditatem salutis capiunt, destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipse nobis suam exuberantem caritatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore! Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum. Dedit igitur nobis se in pabulum,

Ppp iij

vt quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipse  
releuetur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mor-  
tiferum, releuatus est homo per cibum ligni vitalis. In il-  
lo peperdit esca mortis, in isto peperdit vitæ alimentum.  
Illi⁹ eſus meruit leſionem, iſti⁹ gustus intulit sanitatem.  
Gustus fauciauit, & gustus sanauit. Vide quia vnde vul-  
Gen. 2.  
nus est ortum, prodiit & medela; & vnde mors subiit, ex-  
Iam. 6.  
inde vita euenit. De illo siquidem gusto dicitur: *Qua-  
cumque die comederis, morte morieris*, de isto vero loquitur:  
*Si quis comederit ex hoc pane, vinet in æternum.* Hic est ci-  
bus qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat,  
non corpus sed cor, non carnem sed escam, non ven-  
trem sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia  
indigebat, Saluator ipse misericors de nobiliori &  
potentiori huius mundi alimento pro anima refectione pia  
dispositione prouidit, decens quoque liberalitas extitit,  
& conueniens operatio pietatis, & verbum Dei æternum,  
quod rationabilis creaturæ cibus est & refectio, factum  
caro, se rationabili creaturæ carni & corpori, homo vi-  
delicet, in edulium largiretur, panem enim angelorum  
manducauit homo: & ideo Saluator ait: *Caro mea vere est  
cibus.* Hic panis sumitur, sed vere non consumitur; man-  
ducatur, sed non transmutatur, quia in edentem mi-  
nime transformatur, sed si digne recipitur, sibi reci-  
piens conformatur. O excellentissimum sacramentum,  
o adorandum, venerandum, colendum, glorifican-  
dum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præ-  
coniis exaltandum, cunctis honorandum studiis, denotis  
prosequendum obsequiis, & sinceris mentibus retinendu-  
m. O memoriale nobilissimum intimis commendan-  
dum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter  
referendum in cordis vtero & meditatione, ac celebri-  
tate sedula recensendum. Huius memorialis continuam  
debemus celebrare memoriam, vt illius, cuius ipsum fo-  
re memoriale cognoscimus, semper memores existamus,  
quia cuius donum vel munus frequentius aspicitur, hu-  
ius memoria strictius retinetur. Licet igitur hoc memo-  
riale sacramentum in quotidianis Missarum solemnis fre-  
quentetur, conueniens tamen arbitramur & dignum, vt  
de ipso semel saltem in anno, ad confundendam speciali-

Relatio  
caue ob-  
quam insti-  
tuta fuit  
solemnis fe-  
stivitas hu-  
ius sacra-  
menti.

ter hæreticorum perfidiam & insaniam, memoria solen-  
nior & celebrior habeatur. In die namque coenæ Domini,  
quo die ipse Christus hoc instituit sacramentum, vni-  
uersalis ecclesia pro paenitentium reconciliatione, sacri  
confectione christinatis, adimpletione mandati circa lo-  
tionem pedum & aliis quamplurimum occupata, plene  
vacare non potest celebrationi huius maximi sacramenti.  
Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum venera-  
mur, ipsa obseruat ecclesia, ut quamuis in litanis & Mis-  
sis, ac aliis etiam, ipsorum memoriam saepius renouemus,  
nihilo minus tamen ipsorum natalitia certis diebus per  
annum solennius recolat, festa propter hoc eiusdem diebus  
specialia celebrando. Et quia in his festis circa solennita-  
tis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris  
occupationem, aut alias ex humana fragilitate omitti-  
tur, statuit ipsa mater ecclesia certum diem, in qua gene-  
raliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in  
hac ipsorum celebratione communi, quidquid in pro-  
priis ipsorum festiuitatibus omissum existeret soluere-  
tur. Potissime igitur exequendum est erga hoc viuificum  
sacramentum corporis & sanguinis Iesu Christi, qui est  
sanctorum omnium gloria & corona, ut festiuitate ac  
celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo quod in  
aliis Missarum officiis circa solennitatem est forsitan præ-  
termisum, deuota diligentia suppleatur: & fideles, festi-  
uitate ipsa instantे, intra se præterita memorantes, id  
quod in ipsis Missarum solenniis secularibus forsan agen-  
dis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate hu-  
mana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate  
spiritus & animi puritate restaurent. Intelleximus autem  
olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fue-  
rat quibusdam catholicis diuinitus reuelatum, festum hu-  
iusmodi generaliter in ecclesia celebrandum. Nos itaque  
ad corroborationem & exaltationem catholicæ fidei,  
digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto  
sacramento, præter quotidianam memoriam, quam de  
ipso facit ecclesia, solennior & specialior annuatim me-  
moria celebretur, certum ad hoc designantes & descri-  
bentes diem, videlicet feriam quintam proximam post  
octauam pentecostes, ut in ipsa quinta feria deuotæ tur-

Institutio  
dictæ festi-  
uitatis fin-  
gulis annis  
feria quinta  
post octauam  
pentecostes  
solenniter  
celebranda.

bæ fidelium propter hoc ad ecclesias affectuosæ concur-  
rant, & tam clerici quam populi gaudentes in cantica  
laudum surgant. Tunc enim omnium corda & vota, ora  
& labia , hymnos persoluant lœtitia salutaris; tunc psal-  
lat fides; spes tripudiet; exultet caritas; deuotio plaudat;  
iubilet chorus ; puritas iucundetur. Tunc singuli alacri  
animo pronaque voluntate conueniant sua studia lau-  
dabiliter exequendo , tanti festi solennitatem celebran-  
tes. Et utinam ad Christi seruitium sic eius fideles ardor  
inflammaret, vt per hæc & alia proficientibus ipsis men-  
torum cumulis apud eum qui sese dedit pro eis in pre-  
cium , tribuitque se ipsis in pabulum , tandem post huius  
vitæ decursum eis sè in præmium largiatur. Ideoque vni-  
uersitatem vestram monemus & hortamur in Domino,  
& per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ  
districte præcipiendo mandamus , in remissionem pecca-  
torum iniungentes, quatenus tam excelsum & tam glo-  
riosum festum, prædicta quinta feria, singulis annis, deuo-  
te & solenniter celebretis , & faciatis studiose per vni-  
uersas ecclesias ciuitatum vestrarum & dicecesum cele-  
brari , subditos vestros in dominica dictam quintam fe-  
riam proxime præcedente salutaribus monitis solici-  
te per vos & per alios exhortantes, vt per veram & pu-  
ram confessionem, eleemosynarum largitionem, atten-  
tas & sedulas orationes , & alia deuotionis & pietatis ope-  
ra, taliter se studeant præparare, quod huius preciosissi-  
mi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possint  
que ipsum suscipere reuerenter , ac eius virtute augmen-  
tum consequi gratiarum. Nos enim Christi fideles ad  
colendum tantum festum & celebrandum donis volen-  
tes spiritualibus animare, omnibus vere poenitentibus &  
confessis , qui matutinali officio festi eiusdem in ecclæ-  
sia, in qua idem celebrabitur, interfuerint , centum; qui  
vero Missæ, totidem; qui autem in primis ipsis festi Ve-  
speris interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis,  
totidem; illis vero qui Primæ , Tertiæ , Sextæ , Nonæ , ac  
Completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum  
ipsarum, quadraginta; illis autem qui per octauas illius fe-  
sti matutinalibus, vespertinis, Missæ ac prædictarum hora-  
rum officiis interfuerint, centum dies, singulis octauarum  
ipsarum

Hortatio  
ad celebra-  
tionem di-  
cta festi in-  
tatis.

Indulgæria  
pro illam  
celebranti-  
bus.

sarum diebus, in omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum eius Petri & Pauli auctoritate consisi, de iniunctis sibi pœnitentiis relaxamus.

Datum, &c.

VITA ET EPISTOLÆ

ANNO  
CHRISTI  
1265.

CLEMENTIS PAPÆ IV.

CLEMENS quartus, patria Narbonensis, e villa sancti Aegidii, antea Guido Falcodius appellatus, iuris prudentiae laude clarissimus, mortua coniuge quam prius habuerat, Podiensis, & paulo post Narbonensis episcopus factus, ex cardinale omnium acclamatione designatus est pontifex ipsis Nonis Februarii, anno Christi 1265. regnante Richardo Romanorum rege. Initio pontificatus mendicantis habitu Perusium usque profectus est: quo cardinales subsecuti, eum cum debito honore Viterbum deduxerunt. Interea Carolus Andegauensis Italiam ingressus, Romæ per cardinales ad hoc deputatos, Neapoleos & Siciliæ rex renuntiatus est; ea conditio ne adiecta, ut feudi titulo ecclesiæ Romanæ quadriginta millia ducatorum quot annis penderet. Carolo rege creato, post Manfredi obitum, quem ipse deuicerat, Corradinus valida manu instructus ut regnum recuperaret superuenit: de quo pontifex cum per agros Viterbienses eum transeuntem videret, fertur dixisse, ipsum tamquam agnum ad macellum deduci; quemadmodum etiam iuste evenit. Edinigem Polonia reginam, post mortem miracula facientem, in numerum sanctorum retulit. Sanctum Bonaventuram vnice dilexit. In pauperes liberalis, erga Deum religiosus, apud omnes modestus extitit: & ut paucis multa complectar, nullis non virtutibus ornatus erat. Bona ecclesiæ fidelissime, nullo personarum habito respectu, distribuit. Filiarum duarum alteri, quas ex legitimo matrimonio ante pontificatum suscepserat, in monasterio collocatae triginta tantum libras, alteri trecentas libras dotis nomine dedit. Clerico nepoti tres præbendas habenti duas abstulit, dicens se Deo non carni & sanguini velle acquiescere. Post tres annos dies-

Concil. Tom. 28.

Qqq